

/ Illustrissime et Reverendissime Domine mihi semper in Christo colendissime.

Dominus Ludovicus Desplans, in media civitate Gebennensis natus et in medio populi corda et labia polluta habentis educatus, ante 5 multos annos conversus ad Christum pastorem et episcopum animarum nostrarum, ejusdem sponsae suavissimae, Ecclesiae nimirum catholicae nomen dedit, vel potius reddidit, illiusque communioni restitutus est; idque Romae Beatissimo P. Papa Clemente Octavo ita jubente, postea vero à Sanctissimo D. Papa Paulo, quem Deus conservet, cano- 10 nicatum hujus nostrae Ecclesiae Gebennensis accepit, una cum pensione quadam, quae tantisper ejus paupertati utcumque sustentandae sufficeret. Nam quod ad canonicatum attinet, nemo sane, quantumvis parcus, ex ejus fructibus vivere possit quippe qui ad summam 40 scutorum vix unquam ascendunt, et quam saepissime ne quidem ad summam 25 15 aureorum. Nunc vero, cum pensione illa frui minime possit, vix est, ac ne vix quidem, ut possit diutius vivere, quandoquidem neque paternis bonis, neque aliis ecclesiasticis gaudet. Quare iterum recurrit ad fontem apostolicum, ut vel ei pensio illa stabilis et firma ac fructuosa reddatur, vel alia pensio aliudve beneficium illi con- 20 feratur; cumque expetiverit, ut eum Ill/mae D. Vestrae commendarem, id quam libentissime facio, et humillime.

Et hanc occasionem nactus, eidem plurimum gratulor de ultimis duobus libris piissimis, quibus fidelium mentes et recreavit et ad meliorem frugem excitavit. Sed adhuc unum verbum loquar ad Dominum 25 meum. Quam vellem, Deus bone, quam vellent etiam plerique viri cordati, ut si non omnes, saltem unam aut alteram etiam ex brevissimis epistolis S. Pauli, tribus illis sensibus quos D. V. Ill/ma notat, historico, dogmatico, mystico explicatam haberemus; specimen videlicet et exemplar caeterarum similiter explicandarum. Sufficeret si 30 vel ~~ihham~~ brevem ad Titum, imo ad Philemonem, ~~si~~ vel si unum aut alterum caput aliarum, ita expositas haberemus. Nam omnes petere aut

/ expectare ab illustrissima manu Dominationis Vestrae aequum sane ac
justum non est, quandoquidem illam in extrema hac senectute, post
tam multos pro re christiana inde jam ab ineunte propemodum aetate
exantlatos labores tanto operi perficiendo, non animi (Deo gratias)
5 sed corporis viribus imparem esse satis suspicari licet. Sane me-
thodum hanc aperire et tyronibus etiam vix sequentibus praeire in
hoc campo, operae pretium foret. Interim autem, dum id summopere ex-
peto, à Deo optimo maximo supplex peto ut D.V. Ill/mam quam diutis-
sime et felicissime servet incolumem. Annesii Gebennensium 12 Sep-
10 tembris 1617.

Dominationis V/ae Ill/mae et R/mae

Addictissimus, obsequentissimus et humillimus servus

Franciscus Episcopus Gebennensis.

Heu, Illustrissime Domine, quot et qualia impendent capitibus nos-
15 tris mala, nisi fiat pax in virtute Domini Dei exercituum ! Utinam
esset Principibus catholicis cor unum; sed divisum est cor eorum,
nunc interibunt. Ubi est pacem faciens ? Etiam veni Domine Jesu.

Archiv. Postul. Bellarm. 4°. copie. - Oeuvres de St. Fr. de Sal. t.

XVIII lettres tom, VIII p. 77 ss. - *Panaltia: Sum. 255. p. 53*

20 (Extrait de la réponse de Bellarmin)

Quod attinet ad explicationem illam in Apostolum Paulum, cujus
memini in opusculo ad Cardinalem Farnesium litteralem, dogmaticam,
et moralem, jam scripseram in primum caput Epistolae ad Romanos,
cum animadverti, supra vires meas esse laborem illum. Nam praeter in-
25 commoda senectutis, plurimis urgeor et premor occupationibus gravis-
simis (Bartoli li. 1 cap. 17)